



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Episcopatus de littera J. ca. XLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

& alii. Monachus quidam Herueldensis in Chronico creatum refert anno 1022. & mortuum anno 1038.

17 D. Sifridus, siue Sigefridus, monachus Fuldenfis, creatus est Episcopus, ut ex ratione temporum præcedentim Episcoporum colligere licet, anno 1208. & cum in magna temporum iniquitate, schismatis scilicet inter Philippum, & Ottonem. 4. Impp. resideret, ita tamen se gessit integro decennio quo Ecclesiam suam gubernauit, ut utrique Principi gratus & acceptus semper fuerit. Obiit anno Domini 1220.

Episcopatus de litera I.

Cap. XLV.

Herdenses in Aragonia, sub Terraconensi Archiepiscopo.

D. **B**ERENGARIUS, Arago, Hispanus, Raymundi Aragoniæ Regis filius nothus, Monachus, & Abbas Monasterii Montaragonis, sede Turiafonensi relicta Herdensem adiit, Alfonso Regis Fratris sui fauore anno circiter Domini 1170. *Ioannes Mariana in Annal. Hisp. lib. 11. c. 9*

Imolenses in Flaminia, sub Rauennæ Archiepiscopo.

D. ANASTASIUS Vbertus Cæsenas, monachus, & Cellarius cœnobii S. Mariæ de Monte, non procula Cæsenas, uir doctus & pius, ad ouile Domini custodiendum electus, uerbo & opere insigniter illud defendit, & nonnullis lucubrationibus suis qualis, & quantus fuerit ostendit. De illis uero nihil aliud hactenus uidi, præter epistolam unam, siue præfationem præfixam, explicationi D. Io. Baptistæ Foglii super Psalmos. Obiit hac nostra ætate: *Ex epistola D. Angeli a Carpenedolo Decano Cæsenatico ad me transmissa.*

Insulani, siue Insulenses, in Calabria, sub Archiepiscopo Sancti Seuerini; siue Neapolitano.

D. HONORATUS Hiserniensis ex Familia Fascitella, monachus Monasterii Casinensis, & poeta Episcopus creatus de Insula in Calabria; uir doctus, & poeta insignis; floruit temporibus Maximiliani & Caroli V. Impp. *D. Placidus Romanus in suppl. uir. ill. Montis Casini MS.*

X 2 Episco-